



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De pecoribus, & eorum cura. cap. lxxii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

- Pro. 29. Qui furi impertit, odit animam suam. E
 Zach. 5. Dixit Dominus ad me: Quid tu vides? Et dixi: Video falcem volantem. Longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem furis, & delet domum ipsius, & conficiet ipsum: & omnis fur usque ad mortem punietur.
 Eccli. 36. Quis fidem habebit expedito latroni exilienti de ciuitate in ciuitatem?
 Ephes. 4. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operans manibus suis bonum, vt habeat unde tribuat necessitatem habenti.
 Basil. *Graues & acerbæ noctes sunt in sceleribus pernoctantium. Nam & metus ne deprehendantur, & libidinis æstus, omnem ab ipsis quietem propellit.* G

De pecoribus, & eorum cura. CAP. LXXII.

- Leuit. 17. **N**IMA carnis in sanguine ipsius est.
 Pro. 12. Iustus miseratur animas iumentorum suorum.
 Eccli. 7. Pecora tibi sunt? Attende illis: & si sunt vtilia, perseuerent apud te.

De iactatione & elatione: & quod nulla in re huius vitæ gloriari atque extolli oporteat. CAP. LXXIII. H

1. Reg. 2. **N**OLITE multiplicare loqui sublimia gloriantes.
 Hier. 9. Non gloriatur sapiens in sapientia sua.
 Iob. 11. Ne dixeris, Mundus sum operibus, & irreprehensibilis in conspectu eius.
 Eccli. 32. Noli extolli in sapientia tua.
 Pro. 27. Ne gloriaris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.
 Eccli. 11. In vestitu ne glories vnquam, nec in die honoris tui extollaris. Ne dicas, In multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo Altissimo munera mea suscipiet. I
 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.
 Iac. 1. Gloriatur frater humilis in exaltatione sua: diues autem in humilitate sua.

Magno quidem animo sum in Deo: at meipsum tamen metior: ne in gloriacione peream. Nam & Adamum quondam generis nostri authorem hostis, cum ipsum adduxisset, vt diuinam æqualitatem sibi animi errore fingeret, è paradiso expulit, atque usque ad inferni fundum deturbauit.

De corporis pulchritudine & elegantia. CAP. LXXIIII. K

1. Reg. 16. **D**AVID autem erat pulcher aspectu, & decora facie.
 2. Reg. 14. Porro sicut Absalon vir non erat pulcher in Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo vlla macula.
 Pro. 1. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.
 Eccli. 11. Non laudes virum in specie sua. Lucerna splendens super candelabrum sanctum species faciei super ætatem stabilem. Species mulieris exhilarat faciem viri sui.
 Basil. *Qui hodie corpore virenti est, ac luxu obesus, atque ob ætatis vigorem affusam coloris elegantiam habet, nitidaque cute est, ac firmis viribus, idem crastino die miserandus est,* nisi-